

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXV.


[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tibi faciendum existimem, tibi quam primùm aperiã. De Heidelbergensi tumultu, de quo D. D. Papius scribis, nec ego, nec D. Papius, hætenus quicquam audivimus. Quod si resita se habet, de eo haud dubiè amicorum literis edocëbimur, quas brevi per seniorem nostrum Hansonem, Ulmensem, quem nosti, tabellarium accipiemus, cujus ad nos reditum, ex Suevia, singulis diebus expectamus. De eo itaq, si quid certi cognovero, te non celabo. Vehementer verò miror, Heidelbergenses nostros, ad scriptum meum, vel nostram potius Apologiam Germanicam, hætenus nihil respondisse. Fortassis in illo, quod adversus te ædiderunt, scripto & mihi respondebunt, quo una fidelia duos dealbent parietes. Res meas quod atinet, sunt illæ in statu mediocri. Habui in hoc tempore, quo hic vivo, aliquot ex fratribus nostris adversarios, quibus durum videtur, me ipsis præfectum esse. Verùm, Domini beneficio, omnibus suis machinationibus, quas mihi struxerunt, nil aliud, nisi suorum metipsorum confusionem, hætenus obtinuerunt. Confundantur & porrò, & erubescant omnes, qui sua potius, quam quæ Christi sunt, querunt. Est quod me solatur, quod certò sciam, me divinitus ad hanc Ecclesiam & scholam, non vocatum modò, sed etiam, cum reluctarer, vi quadam protractum esse. Addit & hoc mihi animum, quod indies videam, & reipsa experiar, operam meam, Domino per me cooperante, quam & Ecclesiæ & Scholæ nostræ præsto, non planè inanem esse. Adsit & posthac Dominus meis laboribus, & falsis fratribus saniorem concedat mentem, Amen. D. Georgii literas ea statim hora, qua eas accepi, Provincialium Secretario, Speydelio, per meum Davonem reddidi. Uxor mea tuam amantissimè resalutat: malletque & ipsa coràm salutem dicere, quam literis adscribere. Benè & feliciter vale, Rev. & Cl. D. Doctor, Compater honorande. 24. Novemb. postridiè ejus diei, quo tuas accepi, Anno 86. Gratii.

T. totus,

quem nosti,

Wilhelmus Zimmerman, D.



LXXXV.

*Salutem à Domino nostro Jesu Christo, Immanuele,*

*& felix novi anni auspiciam R. d. t. ex animo precor.*

Reverende compater. Literas tuas una cum Germ. responso tuo accepi & diligenter perlegi. Verum in ea sum sententia, Ger. responsonem minime præmittendam esse. Primum enim latine scripta est Heidelb. communefactio,

S s s

factio,

factio, & Ger. lectori parum nota. Deinde nova ratio esset, latino scripto Germanicum opponere. Præbiturus esses Advers. materiam cavillandi, quæ quantum fieri potest, præscindenda est, non ultro illis obijcienda. Ideoque putavi rescribendum esse, ut latinam respons. mitteres, revidendam & publicandam, eamq; publ. suo tempore Germ. sequeretur. Ulus es interdum verbis asperioribus, quæ ego reseranda esse statuo, & jam mutavi. Sed expecto latinam responsionem. Eam si per præsentem tabell. miseris, curabo, quantum fieri potest, ut edatur, præfationem additurus, in quâ & te excusab. & meam quoque innocentiam modestè, si vixero, tuebor. Ut latinæ respons. addas, quæ hætenus collegisti in Antith. orthodoxi consensus v. Aug. &c. perplectet. Apologiæ nostræ exemplaria sine dubio multa sunt reliqua, saltem si Bibl. ea peterent in Franc. nundinis vel Lipsicis, à typographo Wittebergenf. Illa nisi prius distracta fuerint, non denuò prelo subjicientur, nosti enim typographorum avaritiam. Mirum forsân R. d. t. videbitur, quod Ratispon. proprium tabellarium conducendum & mittendum putaverim. Desines autem mirari, si cogitabis, quid prioribus literis acciderit. Satius esse puto, aliquid pecuniæ perdere, quam ipsarum literarum jaçturam facere, & de fama periclitari. Potuisssem ex nundinis Lipsens. mittere litteras, sed cum ante annum literas cum libro meo miserim, nec sciam, an acceperis, cautius agendum putavi. Ac licet misisssem, tardius tamen ad te pervenissent, & tardius ego responsum accepisssem. Dum illa res opus hæbet aliqua festinatione. Et si enim literas cum libro accipiam, tamen non statim habiturus sum typographum. Sic egi cum filio Rosini felicis recordationis, ut Ratisp. conduceret, qui statim ad te excurreret, & cum responso Ratisp. tempestivè rediret, pollicitus sum ei pro more, quantum pro singulis miliaribus numerari solet: tertiam partem excellent. dabit, reliquam ego persolvam. Facile intelliges, quantum tabell. promissum sit. Ratisp. singulis quatuor septim. ego literas accipere possum, per aurigas Lipsiam euntes. D. Hesh. antiquum obtinet. Mallet in lucem prodire, sed prohibetur à Duce Julio. Minaces literas nuper dedit ad Wittembergicos, id quod ex D. Osiandri literis intellexi. In literis ad generum Flading. scriptis haud obscure polliceris, quod ad Apolog. Neapolitanorum respondere velis, si ita videatur, sed exem. destitui. Mitto igitur meum, & te per viscera Jesu Christi obtestor, ut manum adhibeas, inò mando tibi in nomine Domine nostri Jesu Christi, ut quam citiss. illud facias. Potest per DEI gratiam responderi, nec habet invicta argumenta, & Dominus Jesus suo S. S. tibi aderit. Ego, quantum potero, Deo vitam largiente, te juvabo, saltem mittas. Omnino aliquid respondendum est. Dicis cur ego non suscipiam, paucis respondeo, partim propter infirmam valetudinem, quam aliquamdiu sentire cœpi in capite & ventriculo, etiam si vellem, non possem, partim propter molem

molem negociorum, quibus quasi diluvio quodam obruor, singulis momentis. Anhaltinis quoque respondendum est. Accedit, quod Eccles. nostra jam à Pontificiis, Manichæis recent: & Calvin. oppugnatur, quibus forte etiam respondendum erit. Et quidem Manich. jam aliquid oppono. Calvin. in aulam nostram sese insinuare incipiunt. Jesuita quidam, hic natus & aliquandiu educatus, tentat nostram Ecclesiam, & subornat improbos, spargit clam scripta, ut auditores nostros ad sese alliciat. Ita hostis aggreditur Ecclesiam mihi commissam. Ex quibus facile intelligis, quot laboribus simul obnoxius sim.

Responf. contra Anhaltin. his nundinis editum simul transmitto. Heidelberg. calumn. ne movearis. Hac ratione nunquam nos divellent. Firmiori glutino amicitia nostra DEI beneficio copulata est. Literas adjunctas recipies, & Dn. D. Zimm. per occasionem verbis meis salvere jubebis, postrema tempora sunt, sed faciamus officium quisque suo loco, nec defatigemur. Salutem adscribo conjugii & liberis. Raptim Wimaræ, 9. Januarii, 1587.

L. d. i.

aditiff.

## Timotheus Kirchnerus.

Ich hoffe/ dem Worten solle mit vier Gulden können gelohnet werden; iſt es was mehr/ GOTT wird auch beraten. Zween oder drittehalb gulden werden unſer einen nicht verderben. Rolinus wird mein teil draußen auflegen/ und inne auff die hand geben.



LXXXVI.

S. Utrumq; tuum scriptum, tam Germanicum, quam Latinum, Clar. D. Doctor, amice ac Compater honorande, diligentissime & avidissime perlegi. Quamvis autem aculeatum sit utrumque, imprimis verò Germanicum, vicissim tamē etiam hoc perpendendum esse judico, malum nodum malo opus habere cuneo. Usq; adeo ergo utrumq; mihi probatur, ut ejus editionem non tantum non dissuadeam, sed vehementer etiam expetam. Agitur sanē communis nostra causa, (quæ tamen non nostra, sed Christi est) non minus, quam tua privata, ejus utriusq; patrocinium tu scripto tuo suscepisti. Equidem non dubito, Heidelbergenses nostros fratres, ad illius publicationem, extrema quævis, præ insania, molituros: (den Iſnen mit resser langen/ sondersich im deutschen scripto, auffgegoſſen wird) sed vana sine viribus ira. Sie wollens also haben/ darumb haben/ ſies auch niemand zu flagen/ als ihnen selber.

Ss 2 2

Sie